

**A** Probus Imp. Non patiebatur militem esse otiosum, sed multa opera militari manu perfecit, dicens antoniam grauitam militem comedere non debere. *Flauius Vospic.*

Alexander videns suos tot tantisque certaminibus aduersus Asia gentes superatis remissiores esse factos, luxurique passim indulgere, eos placide ac philosophice reprehendit, inter cetera dicens, Nihil magis seruire quam luxuriam, nihil magis regium esse quam laborare. Et verò (addebat) quomodo is equum suum ipse curet, hastam galeamve poliat, qui defuerit suis suum ipsius charissimum corpus manibus atrectare: An nescitis, inquit, eum victoria finem nobis propositum esse, ne idem quod victi agamus. *Idem in Alexand.*

CHRISTIANORVM.

*Ex Lucubr. Laurentij Beyerlinch.*

Amplectimur illud, sine quo nihil mortalibus dedit vita, vendidere dii, cuius memoria dulcis, finis iucundissimus, de quo interrogatus aliquando Agathon, vtrum antecelleret laborem custodia interior, an verò e conuerso? respondit: Homo arbori similis, cuius velut folia, sunt labor corporalis; fructus, custodia interior. *Ex Vitæ SS. PP. Laur. Beyerlinch in Apoph. Christianis.*

Dorotheo Monacho, solemne quotidie lapides ad mare colligere, quibus annuatim hospicium fabricabat ægrotis. Cui dum quidam diceret, Cur in tantum conficis corpus tuum? Quia, inquit, me illud occidit. Sciebat enim (vt est apud Faulum Andrelinum in distychis) quòd

*Corrumpant forti celsus cum pectore mentes*

*Otia plumoso defidiosa thoro.*

*Secom. Trip. hist. lib. 8. cap. 1. Idem.*

Nullus etiã labor S. Ephrem deterruit, quem tam seria vox commendat & ornata, ita enim Religiosum confodalẽ affari solitus: Ne molestus tibi sit labor: nam multi etiam nihil agentes, à negligentiã & torpore turbati sunt. Discite igitur operans, ne discere cogere medicans. Idẽ in illud, Attride tibi, c. 5.

S. Eulachius missos à Traiano milites, hospitio & conuiuio excepit: hospiti verò pro solutione sollicito; Ne vereare, inquit, mea seruitus, & hæc manus exsoluente mercedem. Quam benè cum Apostolo de se dicere potuit, Nullius vestem concupiui, sed ad ea quæ mihi opus erant, ministrauerunt manus istæ. *Ex Sw. tom. 6. in Vita. Idem supra.*

Sciscitanti cuidam, quid esset humilitas, quæue eius viæ? dixit Senior: Humilitas magnum quid est & diuinum; viæ verò eius, Labores corporales. *Doroth. Doctr. 2. Idem ibid.*

Quis hinc Alphonso Arag. Regi aditum præcluserit? qui à Matthæo Siculo notæ pietatis viro reprehensus, quòd propriis manibus laborasset, subridens, Numquid, ait, Deus & Natura, nequidquam Regibus manus contulere. *Ex Panor. lib. 2. de G. st. eiusd. Idem ibid.*

Venerat ad eundem Senior, non modico vino madidus: qui, vt intemperantiam suam excusaret dicebat: Verè lac fenum est vinum, Cui idem ille subiunxit: Sed Regum cibus est honos: quem dii immortales non otio aut luxu, sed improbis laboribus & multo sudore homini vendunt, quia vt rectè C. Manilius:

*longa dies acuit mortalia corda,*

*Et labor ingenium miseris dedit: & sua quemque*

*Advigilare sibi inssit fortuna premendo.*

*Ibidem.*

## DE LABORE MANVALI,

*Silu. de opere manuum exercendo.*

Apostolis satis nõ erat spiritualia curare negotia, sed si quid supererat temporis, manuum labori impendebant. Fatetur de Paulo Apostolo Lucas Act. 18. Sabbathis in Synagoga disputare solitum, aliis diebus scenofactoriam exercuisse. Ipse autem ait: Ipsi scitis, quemadmodum oportet imitari nos: quoniam non inquieri fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo: sed in labore & fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum grauaremus: Non quasi non habuerimus potestatem: sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. 2. *Thess. 1.*

Iterum. Quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audiuius enim inter vos quosdam ambulantes in quiete, nihil operantes, sed curiosè agentes: his autem qui eiusmodi sunt, denunciamus & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes suum panem manducet. *Ibidem.*

Denique: Argentum & aurum aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis: quoniã ad ea, quæ mihi opus erant, & his,

*L. B. Theat. vita Humana. Tom. IV. Pars 2.*

qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere in firmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere. *Act. 2.*

Ab Haymone quoque Cantuariensi Archidiacono de Paulo traditum est, quod à gallicinio vsque ad horam quintam operi manuum, & inde vsque ad horam vespertinam faciendis ad populum sermonibus vacare solitus sit: residuum verò temporis impertierit cibo, somno, precationi. Ita nullam horam illi præteruisse immunem, expertemque laboris, nisi quam edendi dormiendique necessitas interpellaret. Sed in his omnibus ita eum se gessisse credimus, vt mentem nunquam non Deo intentam habuerit: Illudque quod aliis præceperat, prior ipse impleuerit: sine intermissione orate. Sic ergo nobis opus aliquod faciendum erit, vt dum manus artificio occupatur, animus ipse interim oret, & in celestium meditatione iugiter versetur. *Hymno in 2. Cor. 11.*

Petrum, & Thomam, & Iacobum, & Ioannem, post susceptum etiam Apostolatus officium, pificatione se exercuisse, quinimo iubente Domino laxasse rete, in Euangelio legitur. Quis tale opus reprehendere audeat, si Dominus iubendo approbavit: Item de Eleemosynis eorum quos docebant, viuere licebat: iam dignus erat operarius mercede suã: tamen crebrius ad tendenda retia, quam ad accipienda munerata manum porrigebat, vt non auaritia, sed honesti laboris exemplo essent. *Ioan. 21.*

Lucam etiam Euangelistam arte picturæ animum spiritualibus negotiis fatigatum remittere consuecisse accepimus. Romæ duæ imagines videntur, altera Christi in Sancta sanctorum, altera B. Mariæ Virginis in Ecclesia quæ sanctæ Mariæ Maioris dicitur: eas ab ipso pictas ferunt, similitudinem exprimentes eorum quorum nomini dedicata sunt. Constantinopoli etiam extate eiusdem Virginis effigiem pictam constat, quã ab eodem delineatam ac fabricatam fama celebrat. Hoc exercitij genere si quis vri voluerit, illud tantummodo pingendum fingendumque sibi meminerit, quod ad virtutem capeffendam prouocet spectatæ ores, non quod ad vitia inani oblectatione possit illicere. Hoc enim opus Diaboli est, illud Christiani. *Niceph. lib. 1. cap. 34. & lib. 2. cap. 2. & 34. & alij.*

Antonius Abbas hominum ad se consuetum frequenter inquieratus, relicto monasterio vltiorem eremum petiit, ac ne fratres victum ipsi deserendo vexarentur (tridui enim itinere ab eis distabat) terram coluit, sementemque fecit, & oluscula plantauit, vt etiã iis, qui inuisi di gratia eò accessissent, ad conuescendum satis esset. Si quid insuper otij supererit, sportulas de palmarum foliis texebat, vt suo potius labore, quam alieno impendio sibi necessaria in solitudine compararet. *Albanas, in vita Antonij.*

Eos autem qui nihil agendo, nihil sibi defuturum sperant, præsumptione falli, Ioannis Abbatis monstrabimus exemplo. Huic in Scythiõtica eremo eratem agenti incidit in animo, vt diuinã contemplationi absque aliqua corporis operatione cibive cura, iam quasi Angelus Dei vacaret. Itaque cellam deserens per vastam solitudinem euagari cepit, sed die tandem septimo fame urgente, cum iam vesper esset, rediit, & cum cellæ fores oclusas offendisset, conubernalet suum, quem ibi reliquerat, vt sibi aperiret inuocauit, se Ioannẽ esse contestans. At ille: Nequaquam, inquit, nam Ioannes in Angelum mutatus est, nec cibo illi opus est, nec cum hominibus commorari necessarium. Tali exprobratione taxatum dimisit passus eum nocte illa sub dio ante ianuas iacere. Mane vero concesso aditu, cum longa inedia lassum rescisset, fraterna charitate monuit, debere se hominem meminisse, materialibus adhuc efis nutriendum, vt sufficere possit actioni spirituali: proinde laborem Monachis communem ne detrectaret. Eo enim non solum corpori opportuna facile parari, sed etiam animum ipsum recreari solere vt semper quasi nouus ad agendas Deo gratias, laudesque persoluendas, redire cum alacritate festinet. Correctus igitur Ioannes, diuina exceps negotia fabrilis operis vicissitudine impendit die decem, & quantum sua præsumptione lapsus fuerat, tantum consilio alieno vsus profecit. *In vitis PP. Iacobus de Foras.*

Ioannes alius Abbas, qui in Thebaicis eremis vitam duxit, singulis Dominicis diebus pane ab Angelo delato se sustentasse perhibetur, ceteris verò diebus miscellam texendo victum sibi parauisse. Quod si & aliis diebus, quemadmodum Dominico, feriãdum esset: quotidie Angelus cibum illi attulisset,